c lia & ceruſa ignibus ſacris medetur. Fiſtulas infuſus ſanat. Auriū doloribus & lippitudinibus ſuccus inſtillatus, & collyriis additus prodeſt. Gingiuis ſanguinolentis, & ſanguinē reiicientibus potus cōfert. Dyſentericis ſubter per aluum iniicitur. Bibitur contra tabem. Aduerſus uteri ſtrangulationes in lana apponitur: item uuluæ fluxiones. Semen cum uino potum alui fluxiones, & ſanguinis excreationes ſiſtit. Radix decocta collutione, & cōmanducata, dentiū dolores ſedat. Eadem cum foliis in paſſo ad ueſicæ renumq; ulcera præbetur. Ferunt tres radices cum tribus uini cyathis, & pari aquæ potas, tertianis auxiliari, & quatuor quartanis. Sunt qui radice è collo ſuſpenſa ad ſtrumas diſcutiendas utantur.

EX GALENO.

Quæcunq; medicamenta cum hoc quod refrigerant unà etiam adſtringunt, ea & ad ulcera maligna omnia, & ad fluxiones, & putredines proſunt, atqueadeo etiā ad dyſenterias: nam & ſanguinis eruptiones ſiſtunt, & ſi quid aduratur refrigerant. Sinus quoq; glutinant, & alia ulcera recentia ſimul & uetera. In omnibus ferè id genus medicamentis primas tenet, aut certè nulli ſecundū eſt Arnogloſſum, idq; temperaturæ ſymmetria. Nam ſiccitatem obtinet morſus expertem, & frigiditatē quæ nondum obſtupefaciat. Semen eius & radix ſimilis ſunt facultatis, attamen ſiccioris, & minus frigidæ. Semen etiam ſubtilium eſt partium, radices autem craſſiorū. Et huius herbę folia exiccata, ſubtilioris & minus frigidę facultatis fiunt, nempe diſflato ex eo ac digeſto excremento aqueo. Hac ratione radicibus utuntur ad dentiū dolores, tum manducantes, tum collutionibus incoquentes. Præterea ad iecinoris & renum obſtructiones non has tantum adhibent, ſed folia quoque & multò magis ſemen: hæc enim quandam abſtergendi in ſe facultatē habent, quam & in herba uiridi ineſſe ſatis conſici poteſt, uerum ab humiditatis copia uinci.

D EX PLINIO.

Vis mira in ſiccando denſandoq; corpore, cauterij uicem obtinens. Nulla res æque ſiſtit fluxiones, quas græci rheumatiſmos uocant. Stomachū corroborat Plantago per ſe ſumpta in cibo cum lente alicæue ſorbitione. Strumis medetur. Semen eius in uino tritum, uel ipſa ex aceto cocta, aut alica ex ſucco eius ſumpta dyſentericis datur. Lichenis fœdo malo medetur trita. Vitia ſedis & attritus celerrimè ſanat. Ex aqua mulſa duabus horis ante acceſſionem pota duabus drachmis, tertianas leniores facit, uel ſuccus radicis madefactæ uel tuſæ, uel ipſa radix trita in aqua ferro calefacta. Quidam ternas radices in tribus cyathis aquæ dederunt. Iidem in quartanis quaternas fecerunt. Hydropicos ſanat in cibo cum prius panem ſiccum comederint ſine potu. Folia podagras refrigerant, & in primo impetu podagrę rubentis, hoc eſt, calidæ, conueniunt. Oris ulcera ſuccus emendat, & folia radicesq; cōmanducata, uel ſi rheumatiſmo laboret os. Vitio reiectionis ſanguinis idem medetur. Phthiſim ſanat ſi bibatur, & ipſa decocta in uino cum ſale & oleo à ſomno matutino refrigerat. Luxatis dolores & tumores tollunt folia tuſa, addito ſale modico. Fiſtulis infuſus ſuccus auxilio eſt. Sanguinis profluuium ſiſtit ſemen, ſi ore reiiciatur, ſiue aluo fluat, ſiue fœminarum utero. Succus uomentibus ſanguinem datur. Contuſis, cuerſis omnibus modis ipſa ſumitur. Medetur omnium generum ulceribus, peculiariter fœminarum, ſenum, & infantium, igne mollita, melior & cum cerato.

DE ALI-



PLANTAGO
AQVATICA.